ſupra omnia, & alios homines ſicut nos ipſos diligimus; conſiſtit. Officia quoque omnia in hoc effato continentur, facili negotio inde derivanda. Omnes (e) poſt Moſen ſapientia ſuperavit *Salomo* (f), cujus *Proverbiis Ethicen*, & *paranetice* quidem contineri dixit Euſebius: de ſumma vero hominis felicitate agit ejus *Eccleſiaſtria*, & ut *Proverbia* Aretologiam, ſic Eccleſiaſtes *Evdæmonologiam* juſto practicoq; Commentario proponit. Generaliter enim oſtenſo, in rebus creatis ſummam hominis felicitatem, quocunque illæ nomine veniant, non deprehendi, cap. 1, 2. (h) ad ſpecialia, ſingulorumq; fere Bonorum enumerationem conſiderationemque deſcendit. Ac tameſi poſt ejus tempora in præceps omnia iverint: nunquam tamen defuere Hebræorum genti *ſanctiſſimi vates*, qui & ſapientiam docerent, moresque populi emendarent. Quos inter, in ipſa captivitate Babylonica *Daniel* fuit, ſapientia non minus quam probitate morum conſpicuus, (i) à quo ut & *Ezechiele*, qui inter gentiles vivebant, hos multa didiciſſe valde eſt vero ſimile.

Philoſophia practica Salomonis.

a) *Proſtat* Joannis Franciſci Buddei *Introductio ad Philoſophiam Ebræorum, quam heic penitus conſule.* Sethum *inſigni pietate fuiſſe præditum, eaque filios ſuos poſterosque imbuiſſe, vel ex eo colligi poteſt, quod filiorum Dei nomine, in Scripturâ Sacra inſigniantur. Succeſſit* Enoſus. *quem excepit* Methuſalemus, *cujus ut & cæterorum longævitas pro ſapientiæ ac philoſophiæ eorum argumento recte reputatur. Hic Filium reliquit* Noachum. *cujus ſapientiæ monimentum extat in celeberrimis, quæ vocantur Noachidarum præceptis, Hunc ſequutus eſt* Semus, *at inprimis* Abrahamus *Antiſtes ſapientiæ ſummæ. cujus hæres extitit* Iſaacus, *à quo in Jacobum derivata, tum etiam ſe prodidit, cum ſingulari ſolertia naturæ vires adjuvaret, ovium q; colorem ad ſui gregis augendum numerum immutaret. E filiis laude ſapientiæ floruit* Joſephus. *Quo etiam circiter tempore* Jobus *vixiſſe fertur. cui in Hebræorum gente vel hoc argumento locus conceditur, quòd ea quæ de ejus Amicis narrantur, ex Abrahamo illum deſcendiſſe evincunt. Quæſtionem is tractavit, quæ maxi-*